



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epitome In Qvatro Lib. Sententiarvm M. Petri Lombardi**

**Spina, Claudius de**

**Parisiis, 1551**

28. de qualitate consensus requisiti ad matrimonium.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38840**

pactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspiravit sponsus dilatam.

DE QUALITATE CON-  
sensus ad matrimo-  
nium requisiti.

DISTINCT. Vigesima octauæ  
CAP. Primum.

*Consensus per verba de futuro &  
cum iuramento, non fa-  
cit matrimo-  
nium.*

CONsidera quia longè aliud est promit-  
tere, & aliud facere. Qui promittit,  
nondū facit. Qui ergo promittit se du-  
cturū aliquam in vxorem, nōdum eam du-  
xit in vxorem: & quæspōndit se nupturā,  
nondū nupsit. Quomodo ergo coniuges ap-  
pellari possunt, qui nondū contrahunt, sed in  
futuro se contracturos iurando promittunt?  
Item, si ex vi iuramenti ad futurum perti-  
nentis mox efficiūtur cōiuges, cur iurant in  
futuro se futuros quod in præsentī efficiūt?  
Ideo dico quia tunc coniugium non fuit,  
sed futurum promittitur. Non autem sic est,  
quando iuramentum coniugij, præsentis con-  
sensus attestacione firmatur: quia per talem  
consensum si quis alij se copulauerit, etiam  
si prolem procreauerit, & irritum debet

MM iij

fieri, & ipse ad priorem copulam reuocari,  
*Obie et o.* Huc sententiæ obuiare videtur illud quod  
 leges tradunt: Si quis tactis diuinis scriptu-  
 ris iurauerit mulieri se eam legitimam vxor-  
 em habiturum: vel etiam si in oratorio tale  
*Dilutio.* sacramentum dederit, sit illi legitima vxor,  
 quanuis nulla dos, nulla alia scriptura inter-  
 posita sit. Sed hic ostenditur quid fieri vel  
 esse debeat, nō quid tunc fiat. Non enim per  
 illud iuramentum tunc fit vxor, sed fieri de-  
 bet, quia iuratum est. Potest & de illo iura-  
 mento dictum intelligi, vbi de præsentis con-  
 sentiunt, ac se inuicem suscipiunt.

C A P. Secundum. *Matrimonium clande-  
 stinum est verum matrimonium.*

1. **I**N huius enim sacramenti celebratione, si-  
 cut in aliis, quædam sunt pertinentia ad  
 substantiam sacramenti, vt consensus de  
 præsentis, qui solus sufficit ad contrahendum  
 2. matrimonium: quædam verò pertinentia ad  
 decorem & solennitatē sacramenti, vt paren-  
 tum traditio, sacerdotū benedictio, & huius-  
 modi, sine quibus legitimè fit cōiugiū, quā-  
 tum ad virtutē, nō quantū ad sacramenti ho-  
 nestatē. Et sic est intelligendū quod Euari-  
 stus papa ait: Aliter legitimū nō fit cōiugiū, <sup>30. q. 8</sup> *c. aliter*  
 nisi ab iis qui super fœminā dominationem  
 habent, & à quibus custoditur. Et sic consen-  
 sus occultus de præsentis per verba expressus,  
 nō.

coniugium facit, licet non sit ibi honestus contractus, sed matrimonium non sanxit consensus qui in occulto fuit. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio Ecclesiæ redire & commanere, quasi cum coniuge: quia non potest probari testibus contractus qui in occulto est factus.

CAP. Tertium. *Consensus est in coniugalem societatem.*

**D**icimus quod consensus cohabitationis vel carnalis copulæ non facit coniugium, sed consensus coniugalis societatis, verbis sec. præsens tēpus expressus, vt cum vir dicit: Ergo accipio te in meam, non dominam, non ancillam, sed cōiugem. Quia enim non domina vel ancilla datur, ideo nec de summo, nec de imo, à principio formata est, sed de latere viri, ob coniugalem societatem. Cum ergo sic conueniunt vt dicat vir, Accipio te in meam coniugem: & dicat mulier, Accipio te in meum virum: his verbis & aliis idem significantibus exprimitur consensus: non copulæ carnalis (aliàs inter Mariam & Ioseph non fuisset coniugium) vel cohabitationis corporalis (quoniam frater cum sorore, & pater cum filia posset matrimonium contrahere) sed coniugalis societatis, ex qua oportet eos co-

273.1  
273.n.  
*Coniugium  
verum in-  
ter Mariã  
& Ioseph,*

habitare, nisi fortè causa religionis pari voto corporaliter separentur, vel ad tempus, vel vsque in finem.

## DE IMPEDIMENTIS

matrimonij, primò ex parte voluntatis.

D I S T I N C T. Vigesima nona  
CAP. Primum.

*Coactio excludit consensum  
coniugalem.*

**H**oc testatur Urban. papa, scribēs Sanctio regi Arragonū in hæc verba: De <sup>31. q. 2.</sup> neptis tuę cōiugio, quā te cuidā militi <sup>c. de ne</sup> daturū necessitatis inlitate articulo, sub fidei <sup>pris.</sup> pollicitatione confirmasti, hoc æquitate di- <sup>et c. si</sup> ctate decreuimus, vt si illa virū illū omnino <sup>verum.</sup> (vt dicitur) renuit, & in eadē volūtate persistit, vt viro illi se prorsus deneget nupturā, nequaquam eam inuitā ac renitentem eiusdem viri cogas cōiugio copulari. Ex quo apparet cōiugiū fieri inter cōsentientes & spontaneos, non inter renitētes & inuitos. Verūtamen qui inuiti & coactè coniuncti sunt, si postea ab aliquo tēpore sine cōtradictione & querimonia cohabitauerint, facultate descendendi vel reclamādi habita, cōsentire videntur: & cōsensus ille cōsequens supplet, quod præcedens coactio tulerat.